

solutum iuramentum praestabit in forma subscripta  
videlicet :

*Tenor primi iuramenti.*

Ego Carolus rex romanorum adiuvante Domi-  
no futurus imperator promitto, spondeo et polli-  
ceor atque iuro Deo et beato Petro me de caetero  
protectorem atque defensorem fore Summi Ponti-  
fis et Sanclae Romanae Ecclesiae in omnibus ne-  
cessitatibus et utilitatibus eius custodiendo et con-  
servando possessiones, honores et iura ac ius quan-  
tum divino fultus adiutorio fuero secundum scire  
et posse meum recta et pura fide. Sic me Deus  
adiuvet, et haec ad sancta Dei evangelia.

Tum induitus super pellicio et almutia recipitur  
a canonicis Sancti Petri in canonicum et in fratrem  
quos omnes stans ante altare dictae capellae reci-  
pit ad osculum pacis. Inde procedente clero et can-  
tante responsum « Petre amas me? Tu scis domine  
quia amo te. Pasce etc. », alii Caesares proceres suo  
ordine deveniunt ad portam principalem ipsius ba-  
silicae quae argentea nominatur et ex quinque me-  
dia est. Interim duo episcopi cardinales post prio-  
rem antiquiores facta reverentia pontifici cum suis  
mitris et pivialibus veniunt ad predictam portam  
dum Caesar adhuc est in dicta capella inter turres  
et ante eum iunior episcopus cardinalis stans sine  
mitra supra Caesarem genuflexum orantem dicit  
hanc orationem : « Oremus : Deus in cuius manu  
corda sunt regum inclina ad preces humilitatis  
nostrae aures misericordiae tuae et huic famulo tuo  
regi veram appone sapientiam ut haustis de tuo  
fonte consiliis et tibi placeat et super omnia prae-  
cellat per Christum Dominum nostrum, amen ».  
Finita prima oratione intrant ecclesiam Caesare  
incidente semper inter duos diaconos cardinales  
praedictos, et immediate praecedentibus duobus epi-  
scopis cardinalibus praefatis et flectentes ad sini-  
stra pervenient ad capellam Sancti Gregorii ubi  
imperator sedens deposita almutia primo induit  
sandalia, deinde stans tuniculam et demum impe-  
riale paludamentum, et mox inde procedens ad  
medium ecclesiae ubi rota est porphyretica venit,  
et ibi ab alio episcopo cardinali sibi assistente di-  
citur super eum alia oratio videlicet :

« Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor ge-  
neris humani, gubernator imperii, confirmator re-  
gni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchae nostri  
Abrahae praelegisti regem saeculis praefuturum, tu  
praesentem regem hunc cum exercitu suo per inter-

*juramentum Caesaris ad pontificem*

*Caesar recipitur in canonicos Sancti Petri*

*oratio iunioris episcopi cardinalis*

*duos diaconos cardinales cum Caesare*

*capellam Sancti Gregorii*

*oratio alia episcopi cardinalis alteri*